



# WOLFGANGVS MUSCVLVS

## AD LECTOREM.

**N**amdudum mecum ipse cogito, Lector in Domino charissime, non defuturos, quibus temerarium admodum videatur, quod Commentarios hosce super Psalmos Dauidis conscriptos, in publicum spargere volui cum ante me multi pijs & eruditi viri in hoc ipso campo pro sua quisque virili desudarint: quorum scripta tantum sunt existimationis consequuta, ut vix aliquid, quod à posteris præstari queat, post se reliquisse videantur. Obijcient, qui hac sunt opinione affecti, dicentque: Tunc post tot tam veterum quam recentiorum monumenta, aliquid nobis adferes in medium, quod non sit antea multò melius dictum, ac luculentius traditum? Forsan & blasphemias auditurus, quibus ea quæ rectè ac piè dicuntur, pro præsentis seculi malitia miserandis modis proscindantur. Quid igitur? Pedemne referemus, & quæ bona sunt conscientia coram Deo, & sincero promouenda pietatis studio lucubrata, in tenebras abdemus, ne in maleuolorum hominum dentes incidamus. Nihil quidem, hoc præsertim seculo, ad retinendam quietæ vitæ tranquillitatem, tutius ac consultius cogitari poterit: si placeat non quæ Christi, sed quæ mundanae sunt securitatis, sectari. Sed absit hæc cogitatio ab animis pijs, ac Christo consecratis. Si sic comparatus est diuinarum scripturarum thesaurus, ut mortalium quantumuis piorum & eruditorum scrutinijs exhauriri queat, ne quid super sit, in quo posterorum studia cum fructu defudent: si tempus aliquod sic fuit reuelationi Spiritus sancti deputatum, ut ultra illud frustra in explicatione sacrarum Scripturarum laboretur: si extiterunt, inquam, in Ecclesia Dei post Prophetas, Christum, & Apostolos, tam perfectè eruditionis viri, ut illis omnis in uniuersum sic sit à Deo infusa diuinae cognitionis ac sapientie plenitudo, ut scripta illorum tanquam perfectæ & absoluta, Canonicis sint adæquanda libris, illisque solis sit noctes ac dies incumbendum: non recuso stultitiæ, imò insanie damnari, quod nouissimis istis temporibus, post tam absolutos scriptores aliquid in sacris literis tentare voluerim. Si verò prorsus inexhaustus est opulentissimus ille eloquiorum Dei fons: & nec vllum seculum assignari potest, cui soli Spiritus sancti fuerit alligata gratia: nec aliqui vnquam in Ecclesia fidelium extiterè doctores, quibus post Christum, Prophetas & Apostolos, id competat existimationis, ut illorum scriptis nihil videatur deesse, quod rectè addi: nihil adesse, quod merito demereri, vel in melius mutari possit: non video, quare propter tam friuolum maleconsultorum hominum obiectum cæpto absterreri debuerim.

Illud autem aliquanto vehementius animum etiam adamantinum percellere potest, quod feruor ille erga doctrinam veritatis apud plerosque, sic remisit, ut non solum frigidiores, sed & propè aduersarij sint facti, qui paulò ante veritatis Christi alumni videri volebant. Ad breui temporis nubeculam sic sunt immutati plerique, ut animum cum fortuna ad exemplum Cleomenis mutarint, possintque cum illo tam repentinam mutationem admirantibus dicere: Non sumus ydem nunc, qui fueramus antea. Cum autem non simus ydem, non probamus eadem. Verùm etiam hoc quicquid est incommodi, vincendum est fortiter: cogitandumque, præclaram mereri laudem eos, qui rebus propè deploratis, operam suam, licet cum dolore, & parùm efficaciter, animo sincero ac fideli impendunt. Facile est, & iucundum, florenti assistere causæ, ubi nihil est periculi, & cuncta satagentis animum affatim excitant: alacremque reddunt, ubi veritas rebus prosperis multos sortitur amicos, ac passim cum laude triumphat. Quare conandum est omnibus sincerè erga causam Christi affectis, ut vel hoc potissimum nomine patrocinium illius in se suscipiant, quod laborare ac periclitari videtur, & à plerisque, sectatoribus deseritur. Ego sanè pro gratia diuinitus concessa, fideliter præstabo quod potero: hoc uno contentus, quod eum inspectorem habemus omnes, cuius oculi nec dormiunt, nec falli possunt, quiq; ut ut omnia cadant, haud tamen causam suam in finem vsque periclitari sinet. Sed ad institutum progrediamur.

Damus hic, auspice Deo, Lector optime, Commentarios in libros Psalmorum: quos non in nonum, secundum Poëtæ sententiam, sed in vigesimum propè parturiuimus annum